



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CCXLI. An voluntas dæmonum ita sit deprauata, vt nullum bonum
opus etiam morale possit velle.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

DISPUT. CCXLI.

An voluntas demonum ita sit deprauata,
vt nullum bonum opus, etiam mo-
rale, possit velle?

Non posse demones aliquod bonū morale operari plerique
probabiliter autumant. cap. 1.

Rationes aureoli & Nominalium, quibus prædicta senten-
tia probari solet. cap. 2.

Tres alie rationes eiusdem opinionis. cap. 3.

Optimæ ratione prædicta sententia confirmatur. cap. 4.

Diluuntur argumenta Scoti. cap. 5.

CAPVT I.

Non posse demones aliquod bonum morale operari, pleri-
que probabiliter autumant.

Quamuis demoni denegata sit gratia voca-
tionis, qua ad Deum conuertatur, vt præce-
denti disputatione monstratum est, posset nihilo-
minus manere potes ad alia opera bona moralia,
quæ ordinis naturalis esse dicuntur, & secundum
omnem circumstantiam necessariam. Quocirca
noua restat controuersia, an demon ita sit in om-
ni genere peccati obfirmatus, vt nullum omnino
bonum morale secundum omnem circumstan-
tiam operari possit: in qua etiam Scholastici no-
stri diuisi sunt. Scotus in 2. d. 7. q. 1. §. Restat nunc dicere
et q. 3. in reportatis in eadem dist. Bassolis in 2. d. 7. q. 1.
ar. 1. Durand. q. 2. num. 12. affirmant, posse quidem
Angelum damnatum bonum aliquod morale ex
omni circumstantia operari: nec oppositum satis
probatum habent. Addunt nihilominus
Scotus q. illa 1. §. Quantum ergo ad istum, & Bassolis loco
allegato, demonem propter ingentem eius mali-
tiam nunquam bene operari. Sed circa quæstio-
nem facti nihil omnino docet durandus.

Hæc opinio probatur primum, quoniam opus
morale ex omni circumstantia morale bonū, non
est supra facultatem naturalem Angeli: atqui na-
turales facultates in demonibus integræ manse-
runt, vt articul. 1. huius quæstionis ex Dionysio
notauimus: ergo poterit demon aliquod bonum
morale facere. Quinimod ex hoc eodem principio
possumus virgere aduersarios, & probare: non so-
lum posse demones operari bonum morale, sed
etiam aliquod nonnunquam operari. frustra enim
videtur potentia, quæ infinito tempore non est
habitura actum. Si ergo demones habent naturā
potentiam operandi bonum, non possunt infini-
to tempore, quo eorum damnatio durabit, om-
ni bono opere carere. Deinde probatur saltem,
demonem non semper & continuo peccare: quia
in potestate voluntatis libera est, suspendere om-
nem actum: ergo demon cum libera voluntatis
sit, cessare potest ab omni actu ac proinde pro a-
liquo tempore à peccato cessare, cessando ab ope-
re: neque n. peccatum esse potest sine opere, nisi
pure omissionis: hoc autem non contingit in dæ-
monibus, quia raro, aut nunquam præcepto ali-
quo affirmatio obligantur.

Plerique vero Scholasticorum multo probabi-
lius affirmant; demonem non posse bonum ali-
quod morale ex omni circumstantia operari. Di-
xi ex omni circumstantia bonum: nam posse dæ-
monem facere bonum ex circumstantia aliqua
deprauatum omnes fatentur. Ita docent Antisio-
dorenses.

penitentiam. Compungi ad penitentiam, apud
Isidorum, videtur esse primus motus non delibe-
ratus compunctionis, natus ex sancta cogitatione
in quo gratiam operantem, seu præuenientem
esse diximus disputatione 88. ideo igitur inquit I-
sidorus, Angelum non penitere peccatorum, nec
veniam eorum petere: quia non compungitur,
hoc est, non præuenitur gratia Dei.

Hoc eodem sensu intelligendus est Prosper 1. li-
bro de vita contemplatiua c. 3. ubi inquit, demonem
amississe & voluntatem redendi, & facultatem,
nempe per facultatem intelligens non naturam
potentiam voluntatis (hæc enim integra mansit,
vt in hac q. ar. 1. ex Dionysio notauimus) sed facul-
tatem & virtutem, quam præbet gratia præue-
niens: sicut etiam dixit Fulgentius lib. de incarnatione
s. 12. primum parentem nostrum peccato suo a-
mississe facultatem cogitandi ea, quæ ad Deum
pertinent.

Hæc eadem causa est Animabus à corpore se-
paratis, ob quam ad penitentiam conuerti non
possunt. Quam ob rem libenter prætermitto mul-
ta quæ recentiores comminiscuntur, vt explicant
peculiarem aliquam rationem in animabus esse,
quæ Angelis non conueniat. Neque enim video,
qua ratione animæ hanc impotentiam contrahant
ex aliquo actu in hac, vel in alia vita elicitio: quod
eisdem rationibus manifestum est, quibus proba-
ui, in Angelis id non fieri.

Quod vero ait Caiet. in hoc articulo animas sepa-
ratas per primum actum mereri suam oblationem,
hoc est, impotentiam à peccato resurgendi,
mereri, inquam, non tanquam in via, sed tanquā
in termino, sicut dixerat de angelis q. 63. artic. 5.
iam satis à nobis impugnatum disputatione 128.
capit. 7. & quidem de animabus existimo expre-
sum esse in Scriptura, solum in hac vita quamdiu
sunt in corpore mereri, cum Scriptura dicat se-
cunda ad Corinthios 5. vnumquemque receptu-
rum in alia vita præmium, aut supplicium, prout
gessit in corpore.

Verum quærat aliquis, vtrum Deus denegat
demonibus sanctam cogitationem ad peniten-
tiam efficacem, quam congruam appellauimus
88. an etiam, non congruam, quæ solum sufficiens
est, sed effectum non habitura. Si dicamus con-
cedi quidem sufficientem, sed negari solum effi-
caciem & congruam, videmur consistere æqua-
lem statum demonum, & hominum reprobato-
rum in hac vita intra certam periodum, nam cer-
tum est, pro aliquo tempore extremo vitæ repro-
bis non cecedi vocationem efficacem, sed solum
sufficientem. Respondeo, etiam si diceremus,
concedi cogitationem sufficientem demonibus,
sicut & reprobis in extremo vitæ tempore, nihilo-
minus non esse eundem statum vtrorumque: vt se-
quenti disp. videbimus. Cæterum si loquamur de
cogitatione ad penitentiam, quæ sit ordinis su-
pernaturalis, verius multo existimo, demonibus
nec minimam talem cogitationem concedi. Me-
fentur enim carere omni auxilio gratiæ etiam mi-
nimo, nec est eadem ratio, vt concedatur dæmo-
nibus, siquidem & reprobis hominibus in hac
vita conceditur: his enim datur, vt Deus iustifice-
tur, cum iudicabitur: quæ ratio in demonibus
locum non habet.

Antistod.
S. Thom.
Ferrar.
Magist.

Bonaent.
Aegid.
Ricardus.
Gregor.
Capreol.
Gabriel.
Maior.
Marfil.
Scotus.
Holcot.

dorenst lib. 2. sum. tract. 2. c. 7. q. 1. S. Thom. in hoc artic. ad 5. Caiet. & recentiores ibidem, Ferrar. 4. contra gentes cap. 95. & videntur consentire Magister in 2. d. 7. cap. Nunc ergo ubi inquit, Mali angeli ita sunt in vicio obdurati, ut bene vivere nequeant. Eandem sententiam amplectuntur Scholastici eadem distincti. S. Thom. q. 1. artic. 2. Bonaent. 1. part. art. q. 2. Aegidius q. 1. artic. 2. Ricardus art. 2. q. 2. Gregor. q. 1. ar. 2. Capreolus q. 1. artic. 1. conclus. 2. de obstinatione demonum, Maior q. 1. conclus. 5. Marfilus in 2. q. 5. artic. 3. in opinione 4. praefertim in solutionibus argum. Scotus in 4. distincti. 51. q. 1. 4. 5. Holcot in 2. q. 4. littera RR. tamen non omnes in hanc sententiam eodem modo conveniant. Antistodorenst, S. Thom. in hoc artic. Bonaent. & Marfilus solum dicunt demonem nunquam bene operari: quod Scotus non negat, imo probabilius putat: an ut possit aliquid bonum morale facere, non disputant. Caeteri tamen, & idem Sanctus Doctor in 2. loco citato non solum asserunt demones nunquam bene operari, verum etiam nec posse, quamvis diversis rationibus adducti id affirmant.

CAPUT II.

Rationes Aureoli & Nominalium, quibus praedicta sententia probari solet.

Aureoli ratio.

Posterior sententia, quam capite praecedenti probabiliorem esse dixi, varijs rationibus probari solet. Quarum prima fit Aureoli, quam praecedenti disputatione capite secundo memoravi, eaque vsus est Holcot loco allegato: quia voluntati demonum infusus est à Deo habitus quidam inclinans necessario voluntatem eorum ad male operandum: cuius quidem rationis mentionem fecerunt Scotus, & Gabriel locis citatis. Cum igitur voluntas necessario inclinatur ad malum, quoties aliquid secundum virtutem occurrerit, non poterit angelus bene operari. Probat autem Holcot posse libertatem angeli omnino impediri imposita aliqua necessitate ex habitu, quia libertas Angeli finita est, & per habitum vitiosum quotidie diminui potest, ut docet S. Th. 1. 2. q. 65. ar. 1. & 2. ergo tandem finiri potest: nam omne finitum, si continuo diminuat, tandem finietur.

Rejicitur.

Hæc tamen ratio frivola est. Primum, quia, ut ostendi disputatione praecedenti, c. 2. nullus habitus impedire potest libertatem naturalem voluntatis. Quod vero adducit Holcot in confirmationem, nullius momenti est: ut enim ostendimus 1. 2. q. 85. art. illo 1. & 2. libertas voluntatis ad bonum, per habitus praeos & vitiosos non minuitur intrinsece: sed dicitur extrinsece diminui per hoc tantum, quod magis inclinatur ad malum ratione habituum. Hæc autem extrinseca diminutio, quantumvis excreseat, nunquam poterit libertatem naturalem impedire omnino, & extinguere: cum enim nihil auferat illius, sed eam tantum diminuat inclinando in oppositum, ipsam vero in se integram relinquit; nunquam poterit omnino illam auferre, ut ibidem latius ostendimus: alioquin non solum Deus posset talem habitum infundere, qui omnino impediret libertatem, sed etiam quisque demon, & homo posset, multiplicatis peccatis talem habitum vitiosum sibi acquirere, ut omnino suam libertatem in via impediret, quod

est absurdum. Deinde si demoni infunderetur talis habitus, qui ipsum necessario inclinaret ad malum absque libertate; sequeretur, nunquam demonem peccare: quia sine libertate peccatum esse nequit. Postremo cum talis habitus si infunderetur videretur excogitatus, hæc sola ratio rejiciendus merito videtur.

Secunda ratio fit Oami, & Gabrielis, quæ talis est. Cum Deus per se solus producat voluntatem demonis odium Dei, sine concursu voluntatis eius, à quo demon nunquam cessare potest, ut præcedenti disputatione cap. 2. ex eisdem Doctoribus retulimus, efficitur ut nunquam voluntas demonis possit aliquid bonum ex omni circumstantia operari: nam inter circumstantias ad bonitatem requisitas, una est finis.

Hæc tamen ratio eodem modo mihi non placet. Primo quia, ut eo capite notavi, actus odij solo Deo produci non potest. Secundo, quia quamvis Deus possit odium suum voluntate angeli producere: siue fundamento prædicti Doctoris id videretur comminui, videretur duci.

Tertio, etiam si talis actus odij à solo Deo produceretur, non sequeretur necessario, omnem actum actum demonis mali esse: nam si alij actus essent mali, id esset, aut quia careret circumstantia ultimi finis, nempe Dei dilecti super omnia, ut inquit Gabriel, siquidem simul non potest Deus odio haberi, & amari: alioquin hac ratione nullus actus esset malus: nam ut probatur contra Gregorium 1. 2. q. 109. artic. 2. circumstantia ultimi finis, nempe Dei, non requiritur ad bonitatem moralem actus, cum sufficiat habere pro obiecto bonum peculiaris virtutis: aut ceteri actus essent mali, ut indicat Ocamus, quia inficerentur actu illo odij Dei: sed neque hoc modo mali essent: tum quia actus ille odij cum esset à solo Deo, non esset actus humanus liber capax peccati, & culpe, ac proinde non posset inficere quemlibet alium actum humanum: actus enim humanus non potest infici malitia aliqua voluntatis finis, nisi voluntas illa à qua inficitur, sit actus liber & humanus: tum etiam quia licet odium Dei esset actus humanus & peccatum: non tamen repugaret, simul cum illo esse aliquem actum virtutis moralis ex omni circumstantia bonum: potest enim simul voluntati Deus displicere, & placere bonum proximi sui propter ipsum ex misericordia, tamen non possit quis, Deum diligere amore amicitiae super omnia, & simul contra Dei voluntatem mortaliter peccare.

Ratio vero discriminis est: quia amor amicitiae erga Deum, & amicum talis naturæ est, ut secum non patiat aliquid, quod notabiliter est contra voluntatem Dei, & amici: præfert enim amicum eiusque voluntatem omni alteri rei; ac proinde non patitur secum mortale peccatum, quod est notabilis offensa Dei, & contra voluntatem eius: vero odium Dei non affert secum necessario mortale peccatum, & offensa contra Deum: quia odium alicuius non est desiderium omnis mali, quod sit contra voluntatem illius: quare quantum odium Dei non patitur secum opus vitiosum, quatenus placet Deo, tamen simul cum illo esse potest opus peculiaris virtutis propter ipsum virtutis honestatem solum absque illo ordine ad Deum.

CAP. III.

7.
Tertia ratio.

TERTIA ratio, quam assignat Gregorius, est huiusmodi: cum dæmon sit in perpetuo cruciatus, & pœna, semper tristatur: hæc autem tristitia est causa perpetuæ mutationis contra Deum, qui est causa talis pœnæ: atqui cum tali mutatione non potest dæmon bene operari: ergo nunquam potest facere aliquid bonum. Hanc rationem probat etiam Gabriel loco citato conclusione secunda de obduratione dæmonum. Addit etiam, perpetuo dæmones peccare: quia continuo appetunt suam beatitudinem, & carere pœna, quam patiuntur, cum tamen Deus velit beatitudinem eis semper denegare, & pœnam perpetuo infligere: peccant igitur, inquit Gabriel, quia suam voluntatem conformem non habent diuinæ.

Impugnatio.

Hæc tamen ratio infirma est. Et primum quidem, vt ab eo, quod addit Gabriel, incipimus: friuolum est, asserere, dæmones in eo peccare, quod perpetuo suam beatitudinem appetant: nam si non velint efficaciter ad illam conari, (vt reuera velle non possunt: quia vident esse impossibile, & impossibile voluntas efficax esse nequit, vt supra disputatione 234. capitul. 2. ex Aristotele probatum est) non peccabunt ex eo solum, quia sibi desiderant simplici affectu beatitudinem, & pœna, quam patiuntur carere: nisi ex superbia contra Deum, & ex odio contra ipsam illam desiderant. Præterea, si utramque voluntatem habet Angelus necessario, & nõ libere, vt ait Gabriel, quia à nulla ipsarum cessare potest, efficitur nullam illarum esse peccatum: nam peccatum sine libertate esse non potest. Cæterum neque hic author sufficienter ostendit, quare dæmon cessare nequeat ab aliqua earum voluntatum.

Quarta ratio.

Deinde, quod dicunt Gregorius, & Gabriel, ex continuo cruciatus provenire, vt dæmones nihil boni operentur: non satis probatur. Tum quia non satis ostensum est, quæ de causa dæmon cessare non possit ab actu tristitiæ, & odij contra Deum, si elicitur à voluntate ipsius. Tum etiam quia licet dæmones perpetuo tristentur contra Deum, ipsumque odio habeant, inde non inferitur, omnem aliam operationem dæmonum malam esse, vt præced. cap. monstrauimus.

Quarta ratio, quam assignant Sanctus Thomas in secundum distinctione illa 7. Capiteolus Caietanus, Ferrarientis, & Ricardus locis citatis, talis est: quæcunque voluntas dæmonis aut est voluntas finis, quem primo appetiuit, aut ex illa voluntas proficiscitur: ergo omnis voluntas dæmonis mala est aut, secundum se, si sit voluntas finis, quem primo appetiuit, aut quia ex illa voluntate viciatur. Porro autem omnem voluntatem dæmonis esse aut illius finis, quem primo appetiuit, aut ortam ex voluntate illius finis, sic probant: prima voluntas, qua peccauit angelus non fuit voluntas alicuius peculiaris finis, sed vltimi, & vniuersalissimi finis: atqui omnis voluntas aut est vltimi finis, aut propter vltimū finem: ergo omnis voluntas Angeli aut est vltimi finis, quem sibi constituit in primo actu, aut propter vltimum illum finem, saltem (vt ait Caiet.) virtualiter. Explicant autem Caiet. & alij Recentiores, quomo-

do dæmones dicantur operari propter finem, quem sibi primo constituerunt, non tantum quia voluntas dicatur manere secundum habitum cōuersa ad illum finem, quem sibi primo proposuit, sed quia ceteræ voluntates virtute participant voluntatem illam primi finis, quem sibi voluntas proposuit, quemadmodum voluntas cuiuscunque boni peculiaris virtute participat voluntatem vltimi finis, nempe beatitudinis. Hæc ratio, si alicuius momenti est, probat, ita dæmonem velle omnia, quæcunque vult, propter finem, quem per peccatum primum sibi constituit, vt non possit non propter illum finem illa velle: alioquin non probaret, dæmonem non posse non male operari.

Refutatio illius.

Meo tamen iudicio hæc ratio non solum infirma est, verum etiam ex illa aliquid absurdi sequi videtur: & primum quidem ex ea videtur colligi, hominem peccare quacunque voluntate sequenti post primam, qua peccauit moraliter, & vltimū finem in creatura sibi constituit: ac proinde non posse aliquid morale bonum ex omni circumstantia operari, eo quod in omni sequenti sua voluntate prima illa voluntas, quandiu non fuerit per penitentiam retractata, virtute manebit: ac proinde reliquas omnes voluntates prauitate sua viciabit, si id etiam in dæmone efficit: aut assignent, oportet, differentiam inter hominem peccatorem in via, & ipsum, seu Angelum, in termino, ob quam opera hominis in via non inficiantur prima illa voluntate, in termino tamen viciantur.

Deinde ratione priori infirmitas rationis prædictæ ostenditur. Vt enim voluntas aliqua finis præterita, quæ actu non mouet, influere dicatur in sequentes voluntates, & eas inficere, opus est, vt in eas saltem remote aliquid operetur: sicuti ex sententia Bonauent. Scoti, Ricardi, & Gabrielis ostendam. 1. 2. q. 1. a. 6. & q. 8. ar. 2. & q. 14. art. 4. & 3. in tractatu de Confessione. Remote autem solum dicitur operari voluntas finis in sequentes voluntates, quando sequentes connectione quadam continuatur à prima, deriuantur, media saltem alia voluntate, quæ à prima processit. Si enim voluntas finis non habeat aliquam rationem causæ respectu sequentium, non potest esse circumstantia earum: rationem autem causæ habere nequit, nisi ipsa per se, aut per aliam voluntatem moueat ad sequentes, atqui dæmon ita constituit sibi vltimū finem per peccatum prima illa voluntate, vt illa nec per se, nec per aliam mouerit ad sequentes omnes, ergo non potest cū illis comparari, vt circumstantia ipsarum, ac proinde non dicitur virtute manere in sequentibus.

Quod vero adduxit Caiet. de voluntate beatitudinis, quam dicitur participare quodammodo omnes voluntates peculiares, non intelligendum est, vt præcesserit prima voluntas beatitudinis in vniuersum, quæ postea in sequentibus virtute maneat, & sit earum causa proximè, aut remote, vt dicebamus, quia contingere potest vt talis voluntas beatitudinis non præcesserit, aut si præcesserit, non influat vllō modo in reliquas omnes voluntates peculiares, ac proinde non esset verum, in omni voluntate peculiari esse partem voluntatē beatitudinis, vt contēdit S. Th. 1. 2. q. 1. a. 6. sed ideo dicitur voluntas beatitudinis ab alijs specularibus voluntatibus participari, quia quidquid appetimus, sub aliqua ratione boni volumus, vt careamus aliquo malo, in hoc autem est quædam

dam similitudo & imitatio beatitudinis, quæ in eo consistit, ut careamus omni malo, & habeamus omne bonum; ex quo non potest inferri, primam voluntatem, quia demon peccando constituit sibi ultimum finem in creatura, participat ut circumstantia à reliquis omnibus voluntatibus sequentibus, ratione cuius participationis dicatur demon peccare.

Quintam rationem affert Agidius in huiusmodi; In demonibus non potest esse motus aliquis gratuitus, cum eis denegata sit à Deo omnis gratia. Deinde in eis esse nequit motus electivus, qui sit bonus, absque auxilio gratiæ: quia voluntas destituta auxilio gratiæ, nihil potest eligere supra seipsam: ergo natura destituta auxilio gratiæ, quidquid eligit per voluntatem electivam propter seipsam eligit: ac proinde semper dicitur curva manere: ideoque, si amat beatitudinem, eam amat ut bonum suum in quo putat Agidius esse peccatum.

Verum quamvis Agidius concederemus sine aliquo auxilio gratiæ non posse fieri opus aliquod bonum morale, de quo 1. 2. q. 109. art. 2. differendum est, tamen quod ait, demonem peccare, quia amat sibi beatitudinem, ut bonum suum, manifeste decipitur: aliqui & nos frequentius peccaremus desiderantes nobis beatitudinem, & alia bona spiritualia, ut bona nostra: quare & actus spei, qui est etiam desiderium beatitudinis, & bonorum spiritualium, quatenus bona nostra sunt (sic enim ea nobis speramus) esset peccatum, quod est absurdum: quoniam in omni actu virtutis, præterquam in actu charitatis, amamus nobis bonum honestum secundum virtutem, ut latè ostendi 1. lib. de cultu adorationis disp. 1. cap. 4.

Ratio vero, ob quam nullum committimus peccatum desiderando, aut amando nobis bonum aliquod spirituale, etiam sit Deus ipse, ea est, quia licet in hoc amore, & desiderio nos finimus finis nostri amoris, & desiderij, & ita non videatur decens, ordinare Deum, aut bonum virtutis ad nos tanquam ad finem, tamen, quia in hoc desiderio, & amore nos sumus finis cui, & non finis cuius gratia, nulla est perversitas, etiam si Deum, & bonum virtutis propter nos diligamus tanquam propter finem cui: esset autem, si Deum ordinarem ad aliud tanquam ad finem, cuius gratia: nec solum nulla est in hoc amore perversitas, imo est congruus & debitus ordo, nam si Deus, & virtus est bonum nostrum, & ea amamus, & desideramus ut bona, maxime conveniens est, ea nobis amare, & desiderare: non est igitur voluntas demonis ex eo curva, & male ad seipsam convertita, quia sibi desiderat beatitudinem, & carere pena: sed ex eo quod alia contra regulam rationis amet, & desideret.

CAP. V. IV.

Optima ratione predicta sententia confirmatur.

CUM bene operari, non tantum in homine, sed etiam in Angelo pendeat ex auxilio, & motione Dei ut primæ causæ: non videtur mihi alia melior ratio superesse, ob quam demones non possint bene moraliter operari, quam quia eis iusto suo iudicio denegat Deus auxilium suum, cum quo possent bene operari, siue illud sit auxilium gratiæ distinctum à dono creationis, siue sit auxilium, quod aliqui Theologi generale vo-

cant, quod putant non esse auxilium gratiæ. Hanc rationem tetigerunt Paludanus, Marchilius loci citatis. Addit autem Paludanus, hoc citra miraculum fieri: quemadmodum etiam nullum extrinsecum, elementa non agere post diem iudicii nam quemadmodum, quia elementa etiam solum necessaria propter generationes, & corruptiones, cum post diem iudicii nulla sit futura generatio, & corruptio, absque villo miraculo non denegabit auxilium cum elementis, quo indigent ad agendum: eodem modo, quia demones iam sunt in termino, sicut elementa post diem iudicii futura sunt, absque villo miraculo illis Deus denegat auxilium suum, siue quo bene operari non possent, quod eis fuerat concessum, quando fuerunt in via.

Cæterum predicti auctores non explicant, utrum Deus subtrahat demonibus auxilium suum operans, an vero solum cooperans, cum tamen illud plurimum interfit, de hoc, aut de illo genere auxiliij loqui. Explicandum igitur nobis est, quod auxiliium Deus denegat demonibus, ne possint bene operari. Est autem auxilium operans (siue sit gratia, siue non sit gratia, sed generale & commune dicatur) congitatio quædam intellectus, & motio non deliberata voluntatis, quæ præcedit liberum consensum ipsius: hoc autem dicitur voluntas excitari, præveniri, & preparari ad consensum: auxilium autem cooperans est eadem cogitatio, & motio non deliberata voluntatis, quatenus cooperatur cum voluntate ad consensum, in qua cooperatione requiritur quoque concursus ipsius Dei tanquam primæ causæ, cuius operis, & cooperationis quævis causa creata operatur.

Dico igitur, demones non posse bene operari, non quia illis iam preparatis ad operandum denegat Deus concursum cooperationis suæ, hoc enim violentum esset, ut disputatio 139. capite primo notavimus. Sed quia denegat illis auxilium operans, & præveniens, qualescumque illud sit, hoc est, non præveniat cogitatione & motu non deliberato, quo indigent, ut recte operentur. Est autem notandum discrimen, quod illi adduximus inter cætera agentia naturalia, & elementa, & Angelos, aut homines, qui dicuntur agentia à proposito, quod agentia naturalia et naturali sua constitutione, absque villo alio extrinseco principio, sunt in promptu, & (ut dicunt) in actu primo ad operandum, ita ut non indigeant extrinseco aliquo, præterquam concursu Dei ut primæ causæ, & materia circa quam operentur: at vero omnis creatura rationalis per creationem in suo esse naturali constituta, ut sit in actu primo, indiget cogitatione, quam interdum necessario consequitur motus voluntatis non deliberatus: & præterea, ut operetur, indiget concursu Dei ut primæ causæ: determinationem autem cogitationis diximus à Deo provenire: insuper etiam quamlibet cogitationem, quam habeat creatura rationalis, posse à Deo alijs varijs cogitationibus retardari, & hoc est in hunc modum ad consensum alliciat, & hoc est in manu Dei, qui potest varias immittere cogitationes, illas omnino libertate nostra, & Angelis, Quare si elementis manentibus in sua naturali dispositione, & cum materia propinqua, Deus denegaret concursum quocumque tempore, violentum esset naturæ elementorum, ut plane colligitur.

gitur ex ijs, quæ dicimus 1. 2. q. 6. a. 4. sicut etiam si creaturæ rationali congrua cogitatione præparatur ad consensum, Deus concursus suum denegaret. At vero creaturæ rationali denegare cogitationem, quæ præparanda esset voluntas, ut consentiret, nulla omnino est violentia, ut manifestum est: facilius ergo est, asserere, dæmonem non posse bene operari, quia denegat Deus ei auxilium operans præiuvæ cogitationis ad recte operandum necessarium: siquidem hoc fieri potest absque vlla violentia, & ablata cogitatione boni operis, impossibile est aliquid recte fieri.

Verumenim vero cogitatio, quæ præueniri potest voluntas ad opus bonum, duplex est, iuxta notata disp. 88. cap. 1. & disp. 98. c. 6. quædam congrua, quam Deus novit effectum habituram, consideratis omnibus circumstantijs: quædam vero non congrua, quam novit Deus effectum non habituram, quæ tamen communiter dici solet sufficiens, quia cum illa potest voluntas consentire, licet non sit consensura: idcirco difficultas est, quam cogitationem Deus denegat dæmonibus, ne bonum aliquod opus efficiant, utrum congruam tantum, an etiam non congruam & sufficientem? Ratio vero difficultatis est, Nam si Deus denegat congruam tantum, sequitur, dæmonem non posse bene operari impossibilitate solum consequenti: sicut etiam quemcunque reprobum toto eo tempore, quo ei conceditur cogitatio solum sufficiens, & negatur congrua, & denique sicut prædestinatum in ea occasione tentationis, quæ interdum superatur (tunc enim ei non negatur sufficiens, sed congrua cogitatio) sic autem æqualis esset impotentia reproborum in hac vita, & eorum qui vincuntur tentatione, atque impotentia dæmonum, & damnatorum in alia: quod videtur falsum. Quare videtur dicendum, Deum denegare dæmonibus non tantum congruam, sed etiam sufficientem cogitationem non congruam, ut ita impossibilitate præcedente nequeant vllum bonum operari: contra vero videtur, non posse dæmoni negari omnem bonam cogitationem, etiam sufficientem: namque impossibile est occurrere tentationem aliquam dæmoni, quæ inuitet ad peccandum, abique eo, quod ex parte intellectus proponatur ei indifferenter ratio mali, & boni in ea tentatione, & peccato: hoc enim naturaliter occurrit in quacunq; tentatione, imo hoc necessarium est, ut voluntas libera relinquantur: cum igitur voluntas dæmonis, etiam in inferno, ita sequatur peccatum, ut à nullo voluntas eius necessario moueatur, sed libere: necesse est, ut omne peccatum occurrens voluntati dæmonum, cum indifferencia boni, & mali proponatur, hoc est, ut proponatur dæmoni non tantum id, quod peccatum est, sed etiam oppositum bonum. Propter hoc argumentum ego existimo, dæmonibus non denegari omnem bonam cogitationem moralem, etiam non congruam, sed tantum congruam & efficacem, & ita impossibilitate consequenti non posse dæmones bonum morale operari: nihilominus differre à reprobis & prædestinatis, qui vincuntur tentatione in hac vita, non ex parte impossibilitatis, quia eadem est in vtrisque, sed quia dæmonibus post primum instans ita denegatur congrua cogitatio, ut lege Dei iam manifesta eis denegetur, & ita nulla ipsis supersit: nec possit spes superesse: reprobis autem, & præ-

Vasquez in 1. p. tom. 2.

destinatis, quia in hac vita tentationibus vincuntur, non denegatur congrua vocatio ex Dei lege manifesta, & ita nulli admittitur spes salutis, & congrua vocationis, sicut neque ipsi dæmoni in primo instanti. De impossibilitate vero præcedente, & consequenti satis superque à nobis dictum est disp. 68. cap. 4.

CAP. V.

Diluantur argumenta Scoti.

Iam veto argumenta Scoti dissolvere operosum non erit. Ad primum concedimus cum Dionysio capite de diuinis nominibus, mansisse integra naturalia in dæmonibus: hoc tamen non sufficere, ut dæmones bene operentur: sed requiri etiam cogitationem præcedentem, quam Deus largitur, ut vult: dæmonibus autem manifesta sua lege negat eam cogitationem, quæ congrua, & efficax futura erat: quia denegata, impossibile est impossibilitate sequenti, dæmonem bene operari. Ad secundum dico, fieri non posse, ut Angelus cesset ab omni operatione voluntatis: nec in hoc eius libertas attenditur, quod possit non operari: sed in hoc, quod possit hoc, aut illud eligere, aut velle, & quamuis concederemus, posse cessare dæmonem ab omni operatione voluntatis: inde tamen non liceret inferre, posse bene operari aliquando, sed tantum posse ab omni actu peccandi cessare.

Sed tertio posset aliquis obijcere nobis illud Lucæ 16. ubi anima diuitis existens in inferno, petebat ab Abrahamo, ut mitteret aliquem ad fratres suos, qui eos moneat, ne in illum locum veniant: quod opus videtur bonum fuisse. Eadem autem ratio videtur de dæmonibus, atque de animabus damnatis, ut possint, aut non possint bonum aliquod operari. Scotus loco allegato respondet primum, illo exemplo solum voluisse Christum ostendere acerbiter tormentorum, non tamen misericordiam illius animæ Epulonis erga fratres suos. Deinde respondet, illum actum ex obiecto quidem bonum esse potuisse, tamen vitiatum fuisse aut ex malo fine inuidiæ erga alios homines, quos sciebat saluandos, quia ægre ferebat, fratres suos damnatos, cum alij saluarentur, aut ex malo fine odij Dei, ne Deus inueniret in fratribus suis, quod punire recte posset.

Postremo posset quis interrogare, an peccata, & opera mala dæmonum in statu damnationis nouam penam mereantur? Non dico, an propter illa noua aliqua pena ignis infligatur, sed an mereantur nouam penam? Ego quidem non legi aliquem, qui assereret, dæmones per sua opera mereri nouam penam. Posset autem aliquis dicere, ideo non mereri nouam penam, quia ratio meriti non solum pendet ex dignitate operis, sed etiam ex lege, & promissione, aut comminatione Dei, ideoque opera dæmonum in inferno non mereri nouam penam, quia Deus non est comminatus lege sua penam male operantibus in hac vita, sed in præfenti. Verum hac ratione dicere non possumus, opera dæmonum in inferno non esse meritoria penæ: tum quia, ut probabitur prima secundæ questione 174. articulo tertio, ratio meriti non pendet ex promissione præmij, aut

Ppp

com

Dæmoni non denegatur Deus auxilium sufficientem.

Nihilominus distinguatur ab homine reprobis viatoris.

comminatione pœnæ, sed ex sola operis dignitate. Tum præsertim quia in peccatis hoc certum omnibus est, ad rationem meriti non requiri comminationem. Verè enim homo per peccatum dicitur mereri sui annihilationem, etiam si nihil tale ei Deus fuerit comminatus, quod vberius eo loco ostendimus.

Quare dæmones non mereantur novam pœnam suam

Quare respondeo, opera mala dæmonum non esse meritoria novæ pœnæ essentialis, quemadmodum diximus de bonis operibus Angelorum in beatitudine, non esse meritoria novi præmij, eo quod utraque opera non sunt facta in via, sed in termino, & ita sicut bona opera sunt fructus beatitudinis, non merita illius, sic etiam mala sunt fructus damnationis, non merita. Quare cum dicitur, rationem meriti consequi bonitatem, aut malitiam operis, intelligendum est, non operis absolute, sed in via & in agone: de quo fusius loco citato differendum est.

20.

ARTICVLVS III.

Utrum dolor sit in dæmonibus.

23.
2. d. 5. q. 11.
m. 2. cor. Et
ver. q. 14.
m. 1. cor. 2.
q. 20. u.
1. ad 3. q.
art. 8. cor.
princ. q.
ad 5.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod dolor non sit in dæmonibus. Cum enim dolor & gaudium opponantur, non possunt esse simul in eodem. Sed in dæmonibus est gaudium. Dicit enim Augustinus contra Manichæos: diabolus potestatem habet in eos, qui Dei præcepta contemnunt, & de hac tam infelici potestate lætatur. Ergo in dæmonibus non est dolor.

2. Præterea. Dolor est causa timoris. De his enim timemus dum futura sunt de quibus dolemus dum præsentia sunt. Sed in dæmonibus non est timor secundum illud Iob 16. Factus est ut nullum timeret. Ergo in dæmonibus non est dolor.

3. Præterea. Dolere de malo, est bonum. Sed dæmones non possunt bene facere. Ergo non possunt dolere ad minus de malo culpæ, quod pertinet ad vermem conscientie.

Sed contra est, quod peccatum dæmonis est gravius, quam peccatum hominis. Sed homo punitur dolore pro delectatione peccati: secundum illud Apocalypsis 18. Quantum glorificavit se & in delicijs fuit, tantum date ei tormentum & luctum. Ergo multo magis diabolus qui maxime se glorificavit, punitur doloris luctu.

Respondendo dicendum, quod timor, dolor, gaudium, & huiusmodi secundum quod sunt passionibus, in dæmonibus esse non possunt. Sic enim sunt propriæ appetitus sensitivi, qui est virtus in organo corporali. Sed secundum, quod nominant simplices actus voluntatis, sic pos-

ARTIC. III.

sunt esse in dæmonibus. Et necesse est dicere, quod in eis sit dolor. Quia dolor secundum, quod significat simplicem actum voluntatis, nihil est aliud, quam contritus voluntatis ad id, quod est, vel non est. Patet autem quod dæmones multa vellent non esse, quæ sunt, & esse quæ non sunt. Vellent enim cum sint invidi, damnari eos, qui saluantur. Vnde oportet dicere, quod in eis sit dolor. Et præcipue, quia de ratione pœnæ est, quod voluntati repugnet: priuatur enim beatitudine, quam naturaliter appetunt. Et in multis eorum iniqua voluntas cohibetur.

Ad primum ergo dicendum, quod gaudium & dolor de eodem sunt opposita non autem de diuersis. Vnde nihil prohibet, vnum simul dolere de vno, & gaudere de alio: & maxime secundum, quod dolor & gaudium important simplices voluntatis actus: quia non solum in diuersis, sed etiam in vna, & eadem re potest esse aliquid, quod volumus, & aliquid quod nolumus.

Ad secundum dicendum, quod sicut in dæmonibus est dolor de præsentia, ita & timor de futuro: quod autem dicitur: Factus est, ut nullum timeret: intelligitur de timore Dei cohibere à peccato. Alibi namque scriptum est quod dæmones credunt & contremiscunt.

Ad tertium dicendum, quod dolore de malo culpæ propter se attestatur voluntatis bonitati, cui malum culpæ opponitur. Dolere autem de malo pœnæ, vel de malo culpæ propter pœnam, attestatur bonitati naturæ, cui malum pœnæ opponitur. Vnde Augustinus dicit 19. de Civitate Dei, quod dolor amissi boni supplicio, testis est naturæ bonæ. Dæmon ergo cum peruersa sit voluntatis & obliuata, de malo culpæ non dolere.

CONCLVSIO est affirmans, & de fide, ut apparet, seq. cap. 1. videbimus.

DISPUT. CCXLII.

De tristitia, & dolore dæmonum.

*Dæmones dolore spirituali afficiuntur, cap. 1.
Omnem tristitiam, quam patiuntur dæmones, pertinet ad pœnam sensus, cap. 2.
Talis est dolor & tristitia dæmonum, ut nullam suam peccatam veram delectationem, cap. 3.
Dæmonem non posse non tristari, cap. 4.*

CAPIT.